



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

LXV. De vltimo verbo Christi, Pater in manus tuas commendo spiritum
meum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68313)

VERITAS. Matth. 23. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Ioan. 11. 51. 52. *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Iesu morturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Ioan. 16. 11. *De iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ibidem cap. 19. 30. *Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.* Et inclinato capite tradidit spiritum. Apocal. 16. 17. 18. *Exiit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & motus, & tonitrua, & terra motus factus est magnus, qualis non fuit ex quo homines fuerunt supra terram, talis terre motus sic magnus. &c.* Templum est corpus Christi. Ioan. 2. 19. 20. 21. 22. *Thronus crux Christi in qua fuit inscriptio regni sui.* De terramotu vide infra. cap. 67.

CAPVT LXV.

De ultimo verbo Christi. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

FIGVRAE. 1. Noë dimisit columbam quæ redijt paulo post cum ramo viridantis oliuæ, misericordiæ, & pacis signo.

2. Elias cupit tolli animam suam. 3. Reg. 19. 4. *Et perrexit in desertum, viam unius diei, cumq; venisset, & sederet subter unam iuniam*

perum, petiuit anima sua vt moreretur. & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neq; enim melior sum, quàm patres mei.

PROPHETIAE. Psalm 30. 6. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Psalm. 141. 8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi. Tob. 4. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Isa. 53. 10. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longauñ, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Ionæ. 2. 8. Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templū sanctum tuum. Ionæ. 4. 3. Et nunc Domine, tolle queso animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita.

VERITAS. Luc. 23. 46. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: & hæc dicens, expirauit.

CAPVT LXVI.

Christus Dominus moritur.

FIGURAE. I. Abel iustus occisus inuidia fratris sui Cain. Genes. 4. 8. Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cùmq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.

Cc 4

2. Im-